Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2027
Quelle:
Copyright:

Freberus in *Theatro Vir. erud. Adami* in *Vit. JCt. Cunrad.* in *Silesia Tog. Sinapius* in *Curiosit. Siles.* Defensionisque nostrae meminere, velut etiam *Gesnerus* in *Bibl.* Scripta est illa Senariis perpetuis sat pedestribus, et ad calcem adlocutione *ad Christianum Lectorem* terminatur, cui subjectus Annus 1561.

DXXIX.

322 Codex chartaceus lat. Sec. XVI. f. cujus Thecae anteriori impressus est annus 1560. Folior. 410. hunc praefert Titulum: *Ad Serenis. ac Christianiss. Boemorum Regem. Diuum Maximilianum Archiducem Austriæ Ducem Burgundiæ &c. Pauli Scalichij de Lika, Comitis Hun: Bar: Skra: S. T. Doct: Enarrationes, tam ueteris quam noui Instrumenti, in ordinem alphabeticum redactæ, quo facilius studiosus rerum diuinarum uestigare et eruere quod uelit queat.* De Viro hoc *Zagrabiae* in *Croatia* a. 1534. nato, multiplicis, eaeque praecocis, sed indigestae doctrinae, animique inconstantis, παραδοξοφιλε, et in nova prurientis plura congessi in *Hist. Typogr. Viennens.* vernacula p. 536. *Enarrationes* has post imperatum sibi a Benefactore suo *Ferdinando* I. Imp. *Vienna* abitum adfectasse videtur; neque enim vel literam A. exhauriunt, 5. solum Capitibus de vocabulo *Abba*, de *Abalienatis*, de *Abditis*, de *Abductis*, et de *Abesse* tractantes, in quibus, ut linguae Hebr. Graecaeque peritiam non desideres, ita in *rasos Dæmones*, in *sanctimoniam Romani Idoli* et *pietatem Jesuitarum satellitum eius*, in non pauca de ipso Principe temere effutita incurras, quae utique non consonant iis, quibus post suam e *Prussia* proscriptionem purgare se conatus est in Opusculis *Coloniae* a. 1570—71. editis.

II. *fol.* 24. Ejusdem *Pauli Scalichij de lika Comitis Hun: Bar: Zkradini. S. T. Doct. Olistus seu Ætiologiæ, uariarum nempe dubitationum et decisionum Libri III. quorum primus Miscellaneorum difficultates: Secundus plurimos Encyclopædiæ locos exponit. Tertius uero Sphæricam disciplinam enarrat, in transitu Haidelbergen. obiter dictati.* Nesciebam, dum loco *suprac.* de *Scalichio* agerem, eum *Heidelbergam* quoque accessisse, sed *Tubinga* continuo in *Prussiam* abiisse rebar. Verum mox e *primo Aetiologiae* nostrae *C.* patet, eum *Tubinga Heidelbergam*, et hinc *Wittebergam* petiisse, quanquam in mandatis *Ferdinandi* haberet, non nisi Catholicam quandam Academiam invisere. *Aetiologia* porro haec διαλογικως exarata est, *Symbulo* et *Drymo* eruditionis cupidis, *Olisto*, qui *Scalichius* est, confertis eam modiis admetiente. Praemittitur Index *Capp.* omnium III. *Librorum*, quae numero 126. sunt, et omnes paene disciplinas pervadunt. Indicabo selectiora. L. I. c. 3. *De hominibus*